



Antiquae Lectionis Tomus ...

In Qvo XVI. Antiqua Monumenta Ad Historiam Mediae Aetatis Illustrandam,
Nunquam Edita

Canisius, Heinrich

Ingolstadii, 1601

Epistola XXXI. Pars mea, dixit Dominus animæ meæ: Pars mea, dixit pater
filio suo: Cui sit pars cum Sanctis in æternum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64144](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64144)

EPISTOLA XXXI.

Pars mea, dixit Dominus animæ meæ :

Pars mea, dixit pater filio suo :

Cui sit pars cum Sanctis in æternum.

Væ beatitudinis perlectis literis, gaudebam de tuæ prosperitatis salute ; cuius præsens quantum valui, fautor fui, etiam & nunc absens cupidus. Et utinam, ut literis promissisti, memor sis antiquæ paternitatis, & dulcedinis inter nos, in Domino, qui semper nos in sua prouehat voluntate, & proficere faciat, in suis mandatis.

Memores simus, quòd nos de stercore erexit, & posuit inter principes populi sui : non nostris meritis, sed sua gratuita misericordia ; cui semper gratias agimus in omni vita nostra, ut ille, qui exaltauit, etiam & conseruet. Omnes verò ecclesias, quas, Deo donante, ad regendum accepisti, diligentissimè in DEI laude exorna.

Sint in eis canonicis horis psalmodia, orationum instantia, Missarum solennia, & intercessionem pro te, tuisq; amicis. Sint tibi filij minores cum honestate, & temperantia. Vestimentorum moderatus cultus : conuiuia nõ in luxuria, & ebrietate, sed in sobrietate, & congruentia temporibus, & personis.

Vbiq; DEI timorem ante oculos habeas. Humilitas te exaltet, & veritas honorabilem faciat, & misericordia amabilem. Sit tua manus pauperibus larga, amicis benigna. Esto fidelis dispensator domui DEI ; esto forma salutis omnibus tecum habitantibus. Et quia DEVS te honore nobilem fecit, esto quoque & moribus nobilis. Luceat lux tuæ bonitatis coram omnibus. Glorificetur in te pater cælestis ; qui te & in hac præsentis vita custodiat, & in futu-

K ra vita

ra vita gloriam tibi cum Sanctis concedat æternam.

Pars mea, pars valeas; semper sis pars tua Christus.

Eso memor patris, pars precor alma tui.

EPISTOLA XXXII.

Dilecto fratri Illi.

ALCHVINVS SALVTEM.

DVLCEs tuæ dilectionis accepi literas, mellifluis
sensibus delibutas, apologeticam tenens ratione
quarum melius credebam veritati, quam falsis
quæ aliorum narrationi. Nam fides amicitie corde con-
stare debet, non linguæ verositate. Utinam dignus essem
pacem prædicare, nõ discordiam seminare; & signum por-
tare Christi, & non arma diaboli. Nunquã tibi scripsissem,
si noluissem pacem tecum habere, & quod in Christo ce-
pimus, firmum permanere.

Verè OFFÆ Regi & genti Anglorum nunquam in-
delis fui: sicut hos amicos, quos mihi DEVS donauit, fide-
liter quantum valco, seruabo: sic & hos, quos reliqui in pa-
tria. Pauci sunt dies mei, & hos ipsos cum dolore flagellum
suffero: ideo te obsecro, vt in Domino, quos valeas, mihi
intercessores acquiras.

Multis miseriis turbatum est hoc seculum, & non est re-
frigerium in eo, nisi in misericordia DEI, & fide amicorum.
Nudi venimus, & nudi recedimus: nisi qui bonis animam
vestiat operibus. Vt tibi, charissime frater, tempus vel locus
occurrit, semper DEI suade voluntatem omnibus personis
Regi suauiter, Episcopis honorificè, Principibus fiduciale-
ter, omnibus veraciter. Nostrum est seminare, DEI fru-
ctificare.

Nec